



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Meditationes Rerum Divinarum In Psalmos  
Quindecim**

**Hillesheim, Ludwig**

**Coloniae, 1572**

**VD16 H 3683**

64 Te decet hymnus Deus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60352](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60352)

Pro eo & confitebor tibi, ac te Deum me-  
um glorificabo in corde meo, vt anima in  
salutari tuo mea perpetuum refrigerium  
sit & quies.

Finis meditationis in psal-  
mum XLI.

ARGVMENTVM  
psalmi lxiiij.

Cum omnia animi & corporis bona  
abs Dei manu, beneficentiaq; dimanent,  
nec retineri sine beneficio eius queant, eod-  
etiam mens omnis in hoc exilio & pere-  
grinatione vitæ referenda est, grata re-  
cordatione Syonis Ierosolymæque cœ-  
lestis: quo obseruato fœlicitate in terris  
summa, ac demum bonis in cœlo æter-  
nis fruemur.

MEDITATIO IN PSAL-  
mum LXIIII. iuxta Hebra-  
os LXV.

G 2 Magnis



**M**agnis me malis superatum, &  
 ab salute remotum Deus, cum  
 supplicanti tibi suscipiendum  
 misericordia tua statuisses, ea letitia re-  
 pleuit, ut ceu noua & insperata mentis  
 mea lux & vita oriretur. Cum enim me  
 me angerent delicta, ac mœrens animus  
 vix ferre impetum malorum posset, tu  
 bus meis inclinatis, ac iam ruentem  
 manu paterna subleuasti, ac mea consue-  
 isti saluti, ut ea in perpetuum confirmata  
 benignitate tua esset. O dignam maiesta-  
 te tua beneficentiam, testatam & optati-  
 mihi, ut cum ira iusta tua causa esset, mihi  
 solueres delicto, in tuam reciperes familiam  
 gratiam, ac dignum clementia tua exis-  
 mares. Hæc orbis totius letitia est, magni-  
 ficentia maiestatis tue, qua omnia reguntur  
 et conseruantur, ut quicquid vsquam  
 spirat ac viuit, misericordie tue & san-  
 ctissimi nominis gloriam testetur & ag-  
 noscat. At hoc ipsum inanima, & que  
 cunque spiritum sensumque viuendi habet  
 agunt



agunt, et officium in eo suū, tibi, cui omnia debēt, præstant Si quis enim animo & cogitatione perlustret rerum creatarum ordinem, atq; in primis mundi molem, quæ terras in medio stabilitas (· punctum operis admirandi & immensi: ) incredibili celeritate ac vertigine certis motibus circūuoluitur, cæli pulchritudinem ac splendorem, maris & Oceani decursus atq; fluxus, montes, sylvas, quæq; è terra venierunt fontes ac flumina, tum arborū, stirpium, herbarum atque florum mille genera, se utilitate incredibili, ac cultu effertentiū & ostentantiū suo, horum etiā nascentium ac decrescentiū ortus, occasus. Iam animantia, quæ aëri, quæ aquis, quæ terra inerrant, formas ac varietatem, omnia hæc quæ optimè & summa cum ratione facta sunt, gloriam tibi aut ori suo tribuunt, & testificationē gratitudinis suæ offerunt ac laudem. Hoc si omnia, quæ in vniuerso sunt, etiam rationis expertia agunt, quæ meæ & omnium hominum par



teserunt? qui ad tuam similitudinem  
 Et, redempti q̄, diuinitus, & ad beatitudinis  
 participationem adsciti sumus? Sequamur ergo hunc ordinem vniuersi, &  
 aperta intus in mente iucunditatis aeterna  
 & letitia ac spe, hoc debitum maiestati tuae  
 munus in tuo, p̄strati cōspectu tribuamus.

Te decet hymnus Deus in  
 Syon, & tibi reddetur votum  
 in Ierusalem.

**S**I vim maiestatemq̄, tuam diuinam  
 altiore animi cogitatione cōsideremus,  
 quid est quod praestari illi sublimi essentiae  
 tuae, ab debilitate conditionis nostrae possit  
 fit? Sed nihil illa tanti numinis tui sublimitas  
 durum poscit aut graue, tantum animi  
 gratitudinem & obseruantiam suam  
 psal. 49. quirit, vt tibi Deo altissimo offeratur laudis  
 sacrificium, ac vota reddantur, & ad  
 numen augustissimum venerandum tuae  
 omnia consilia vitae, omnes animi sensus  
 cogitationesq̄, referantur. Si voluntas  
 nostra



nostra cupiditati noxiarū rerū se addicit,  
 si libidini, si temulentia, si vindicta se a-  
 stringit, non sacrū nec laudē numini tuo,  
 sed contumeliā atq; iniuriam facit, sequē  
 nefario scelere cōtaminat. Curuabimus er  
 go genu, tibi deo excelso supplices facti, &  
 te sanctē ac religiosē adorato offeremus ti  
 bi cor contritū et humiliatū, quod si nō de- *Psal. 50.*

spicis, sed ignoscis hominū delictis, et veniā  
 das, quid restat? nisi vt per summā tuam  
 clemētiā, & impietate & angore cōsciētia  
 et scelerū cruciatu liberati, hymnum tibi  
 deo altissimo canamus, consecrata in ani  
 mis beneficiorū cōlestiū memoria, et vota *Psal. 106.*  
 reddamus, quae sacrificia sunt iustitiae ac  
 laudis. Hoc in omni statu & conditio-  
 ne vitae sempiternae tuae clemētia debemus.

Ea sic impesa est vniuerso hominū generi,  
 vt illud non longē infra cōlestes illas men  
 tes statueres. Minuisti eū paulo minū ab *Psal. 8.*  
 angelis, gloria & honore coronasti eum.  
 Factus homo est ad tuam formam di-  
 uinam, positus horto deliciarum plenus,

G 4 tectus



tectus innocentia tuoque favore, imperium ei in omnia datum. Itaque voluntate qua ferretur ad venerationem tuam, & ratione radio diuinitatis tuae concessa, ceu voto fuit obstrictus, vt te sancte ac piocoleret. Sed ille fidem ac fas omne abrupto, tuo iussu neglecto, eoque se in erumna innumerabiles coniecit. Hanc tantam malam cum iam malo extremo suo agnosceret, non ei defuit misericordia tua. Seruasti eum o pater misero tuo filio, & innocentis sanguine profuso, maculam eluisti atque culpam. Quanto ergo charitas maior fuit ab sempiterno interitu conseruasse, quam procreasse eum quem equo iudicio damnasse potuisses, tanto maius votum omnium esse debet, vt te venerentur, tibi voto aeterno se addicant, idque votum, toto tempore vite, gratis & ad tuam voluntatem comparatis animis exoluant. Hoc vt in Synone fiat, destinatum abs te est, qua sancta Ecclesia tua designata fuit, ille fidelium vnus, consentiens ac Catholicus coetus



in terra tibi militans, qui videtur, qui que  
a nostro aspectu est submotus, atq; ille eti-  
am in caelum translatus ac triumphans.

In illo sancto monte altaria tua Domine  
virtutum, & tabernacula tua ac iustoru  
sunt. In quibus vox est exultationis & sa-  
lutis. Hanc tu Syona elegisti, in q; sempi-  
ternum fundasti, vbi in gloria tua videar-  
is, vnde perfecta pulchritudine resplen-  
deas, vbi te adoraturi sunt omnes angeli  
tui. In qua in seculum regnas, vbi domi-  
ciliu habes et sedem, quam diligis et cha-  
riorem habes omnibus. In hac magnus es  
& excelsus super omnes populos, vnde sa- Psal. 109.  
lus, benedictio, & vita vsque in seculum  
prouenit, ex qua virgam virtutis, & pote-  
tia tua sceptrum emittes, cuius seras por- Psal. 147  
tarum roboras ac confirmas, quae immo-  
bilis in secula est mansura, cuius finibus pa-  
cem es largitus. Quam adipe frumenti sa- Psal. 47  
cias. In cuius domibus tu cognitus es tutu  
refugium esse, quam iudicio implet et iu-  
stitia, quam consolaris & redimis. Quae Esa. 59.

G s corona



- Esa. 64.* corona gloriae ac diadema regni in manu tua est. In qua gaudium & leticia est. & vox cantici, ad quam liberati & redempti reuertentur cum laude & letitia sempiterna, apud te apparituri, circumfluentes tuae domus ubertate, ac te flumine tuarum deliciarum eos perfundente. Hec ergo magna Ecclesia tua est, columna & firmamentum veritatis, gaudium vniuersae terrae.
- Esa. 62.*
- Esa. 51.*
- Psal. 35.* Ciuitas tua, vbi Syonij in te rege suo exultant, te celebrant, tuam iustitiam praedicant, vbi hymnos & vota reddunt, in conspectu timentium te. In hunc coetum vniuersae omnes se homines allegent, quae voluntas est tua, ac pro eo filij tui supplices tibi sunt & orant, vt ligato illo diabolo, qui gentes seducit, in vnum coalescat, praedestinata & electa ante mundi constitutionem Ecclesia. Hec nostra, in Syone, quae Ecclesia est sanctorum, vota facta, te, quem rerum aduersarum tempore inuocamus, rata habiturum speramus, vt tuum nobis auxilium paratum sit, qui com



mune perfugium es omnium. Quamobrem pro hac potentia tua diuina magnitudine

Exaudi orationem meam, ad te omnis caro veniet.

Hebr.

Qui exaudis.

**N**os cum inter maximas erumnas vitata versemur, earumque leuationem

Tu exaudis.

anxi, & summa cum sollicitudine expectemus, tamen quibus artibus & consilijs vrgentium molestiarum vim, auertamus non habemus. Sed an ideo conditionis immemores nostra? ratione excidemus atque sensu? non caelestium, quaeque diuinitus abs te sunt rerum causas agnoscemus? Nos quidem ista omnia iure accidere statuemus, nec auerti alia via posse, quam vt conuersi ad te, pro malorum leuatione maiestatem tuam exoremus, quod quidem fore pro indubitato est habendum, propter tuae bonitatem summam, qua inuitati mortales, a cunctis mundi plagis ac finibus accurrent, vt te iuste et religiosè adorato,

G 6 tua



tuam opem diuinam inter vitæ mala consequi possint. Ad hoc percipiendum perpetua tua ac singularis benignitas accessit. Nam ex quo scelere humano auersa abs te natura ratio est, illud euenit, ut ad eam naturam renouandam & ad tereducendam se vis tua voluntasq; diuina undique proferret: hominibus ordine viuendi eaq; via demonstrata, qua ad te accederetur. Ac ne vlli nationi incognita tua providentia, & vera religio esset, tu misisti ad homines tuo filio, & gratia tua luminibus omnium prelato, ignorantem sustulisti, ac viam aperuisti, qua ad te, veramque salutem perueniri posset. Itaque omnes amplexa est benignitas tua, qui etiam accedere cunctantes voce tua inuitas.

Matth. 11. inquit: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Sequamur ergo te cupientem & affectantem trahere nos ad se, & quanquam in animis nostris metus inhaereat propter delictorum grauitatem conscientiaq; angorem



rem, tamen te iubente, benignitati tuæ cō-  
fidemus, qui nos vltro & vocas, & oleo mi-  
sericordiae tuæ inungis.

Verba iniquorum præualu- *Hebra.*  
erunt super nos, & impietati *Verba ini-*  
bus nostris tu propitiaberis. *quitatum.*

*Ratio scele-*  
*rū nostro-*  
*rum.*  
Sed nimis ad indignitatem nostram, of-  
fensionumq; grauitatem cogitationē  
vertamus, iacet animus, & quasi pondere  
suo ad terram fertur, ne se attollere ad ori-  
ginem suam possit, ex eo ingens spei cum  
desperatione pugna exoritur, sed de tua  
Deus summa bonitate fiducia concepta,  
obstantem timoris & angustiarum molē  
exuperat, vt qui ad te confugiunt, se libe-  
ratum iri ijs, quæ commouerant malis,  
eorumq; veniam percepturos constanter  
sperent. Nihil est enim aut ad salutem no-  
stram, aut te placandum valentiùs, quàm  
cum difficilis occurrit recordatio delicti,  
tum vt ne spem abijciamus, verum omnia  
in tuum adferamus conspectum, nosq; in



in noxijs ponamus, sed certi te nos interire  
 nolle, tua salutari clementia, quæ seueri-  
 tem vincit, ceu firmamento nitamur, seu  
 per tamen in tuo metu & cultu perstan-  
 tes. Ita tuo fulti præsidio, tuæque mis-  
 ricordia innixi, iter hoc mortalis vitæ in-  
 ter formidolosa & turbulenta omnia in-  
 sensè conficiemus, ac demùm omni perfe-  
 ctione bonorum abundabimus, in habita-  
 tione cælestis requie: quoniam is verè

G. Aulis.

Beatus quem elegisti et al-  
 fumpstisti, inhabitabit in a-  
 trijs tuis.

**N**Os quàm diu in terris degimus, in  
 illa concretionè mortali, peregrina-  
 mur abs te, & exiliū graue ac durū susci-  
 nemus, refertum curis et omni genere solli-  
 citudinum, nulla vt solida fœlicitas ab ip-  
 sâ in terra innumerabilia cernimus per-  
 cipi possit, imò mortifera & tanta illorum  
 contagio est, vt nisi ab illis animum auoca-  
 mus, iacturam salutis ac vitæ faciamus.



altior ergò cura est suscipienda, quæ inde nos auertat: vnde ingens exorietur solatiū vitæ, vt quãuis omnia accidāt aduersa, tamē extincto sensu malorū beati sumus: nimirum electi abs te, vt post vitā in terris ad tuam voluntatē peractā, ex hoc lachrymabili hospitio, ad cœlestis patriæ iucundissimam beatissimamq̃, sedem traducamur. Sed in eligēdo asciscendis quæ ad cœlestē felicitatē tuis, ab omni humano sensu & cogitatione nostra remota tua iudicia sunt, qui personæ hominis rationem nō habes. Quos nos infelices ac miseros, tu beatos: quos viles nos & contemptos, tu honoratos: quos nos insipientes, tu pro sapientibus habes: eligis infirma mundi, vt confundas fortia, calamitosos, arum-  
 nosos, egentes, & omnibus saepe expositos malis, non eligit mundus, immò pro recrementis & quisquilijs ducit, etsi illis plerunque indignus. Sed hos tu DEVS eligis, qui posteaquàm in hac calamitosa vita, iustitia perfuncti  
 magnā

Esa. 55.

Ad Gal. 2.

1. Cor. 1.

Ad Heb. 2.



magnam lachrymarum sementem fecerunt, tandem latitiae sempiternae vberis fructus metent, translati in caelum ut in sempiternum tempus in eo habitent et beati sint. O magnitudinem praemij, licitatemque perfectam, quam tuis DEUS rependis, laborumque mercedem statuis, quam nulla euincet aut subuertet vis, quae mundo atque vniuersis, quae in terris sunt abolitis ad omnem se aeternitatem extendet. Nemo est omnium mortalium qui religionem & iustitiam colunt, ad quod hoc caeleste beneficium non pertineat, et qui ad eius perceptionem non aditum habere possint, summi atque infimi, amplius ceteris enim omnes pater caelestis, eorum inuitas, ut aeternum tuum regnum perfructum dum nobis gaudere possimus.

*Satiabimur.  
G. Mirabile in iustit.*

Replebimur in bonis domus tuae: sanctum est templum tuum, mirabile in aequitate



IN hac certè vita quantumuis longa ætate, nulla potest esse iucunditas, nec expleri animus noster presentibus valet, vota eius atque spes ad fœlicitatis alicuius maioris adsequendum finem proferuntur. Hoc igitur nobis euenturum est, vt post susceptos in terra labores, præmium feramus in cœlo, & gloriosi ac beati nõ solum amplius sensu careamus molestiaq; doloris, verum etiam bonis cœlestibus cumulate atque aternum abundemus. Explebuntur enim desideria nostra ac vota, quum in illo sancto templo tuo, tua gloria ac maiestas nobis conspicua fiet. Hoc vt tantum nobis ac diuinum beneficium contingat,

Exaudi nos DEVS salutaris noster, spes omnium finium terræ, & in mari longè.

G. Saluator noster, deus noster salutis.

Cum enim inter noxia & infesta omnia versemur, nihil tam nobis in votis est, quàm vt salutarem summe patet



ter opem tuam consequamur. Etsi enim nos propter prauam & impuram rationem, vita, benignitate tua indigni simus, tu tamen pro iustitia tua ratione, qua caetera quae omnibus oris continentur, & quae maria terras omnes ambigunt, sustentantur & confirmantur, nobis fac benignitas ac diuinam tuam salutem largire. Hoc ut praestes non solum voluntatis est tuae, sed & potentiae, qui

Hebra.  
Stabiliens.  
G. Accinctus in potentatu.

G. Sonos fluctuum eius quis sustinebit?

Præparans montes in virtute tua, accinctus potentia: quod conturbas profundum maris, sonum fluctuum eius.

**N**os si hanc operum immensitatem, ac molem, atque inter ea montium immanium iuga aspiciamus, satis ea res ad potentiam considerandam tuam valet. Nihil enim est in vniuerso tam arduum atque ingens, quod non fortitudine tua stabilias atque firmes: ita ut quaecumque in terris sublimia esse existimantur, abs te



robur suum accipiant, qui Oceani ad cœ-  
lum vsque sublato fluctus, nutu solo tuo  
tranquillas. Ea potentia summa tua, non  
maritantum, sed & inter rerum publica-  
rum grauissimos motus percipi potest,  
quorum impetus imperio reprimis tuo,  
vt ea qua iubes lege ferantur & conqui-  
escant, quo factò non nos tantum fidu-  
cia implemur, securi presidio tuo, ac pace  
fruentes, verum etiam confirmatur auto-  
ritas nominis tui.

Turbabuntur gentes & ti-  
mebunt qui inhabitant ter-  
minos à signis tuis. *G. Fines.*

Exitus matutini & vespe-  
re delectabis.

**O**Mnes enim homines, qui vsquam  
habitant, cōsideratione grauissimo-  
rum euentuū in admirationem adducti,  
magnitudinem agnoscent tuam, vt te re-  
uereantur ac metuāt. Ad eā recordationē  
potentia tua cū ea cogitatio accedet,  
quantis



quantis commoditatibus vitam hominibus, omniaque non meritis nostris, sed clementia tua metiaris, populi atque gentes quotquot habitant in vllis angulis terrarum timore posito, te matutino solis exortu eiusque vespertino occasu hymnis celebrabunt, & benignitatis tuae fauore inter labores suos magno cum gaudio fruuntur.

Tu certe

Irrigasti.  
Irrigas et  
abundè di-  
tas.

Visitasti terram & inebriasti eam: multiplicasti locupletare eam.

**V**T testimonium amplum beneficentiae tuae in omnium oculis versetur, providentiam enim & curam tuam etiam ad infima ea, quae in terra sunt, ita se videntem proferentem sentimus, vt quasi presentia tua illam inuisere videaris, & fructibus ferendis foecundam facis atque irrigas, vt quasi e locuplete penu conpiose suppeditet ea, quae ad communem vsum vitam requiruntur, quin &

Flumi



Flumen Dei repletū est aquis:  
Parasti cibum illorum quoni-  
am ita est præparatio eius.

**S**ic ut ad sustentandum humanum ge-  
nus, non terra solū imperio deseruiat  
tuo, & alimentum præstet mortalibus, ve-  
rum etiam ipsa flumina, & perennes a-  
quarum riui, eò operam effectusque suos  
conferant, ut fruges è terra proueniant,  
& omnia ad utilitatem vitæ summam cõ-  
parata sunt. Quamobrem deinceps

Riuos eius inebrians multipli *Hebra.*

ca genimina eius: in stillici- *Sulcos eius*  
dijs eius lætabitur germinās. *inebria gle-*

**N**imirum ut cumulatior benignita- *bas depri-*  
tis erga nos tuæ amplitudo sit, hoc *me, germi-*  
desideriū est nostrum, ut in posterum ean- *ni eius be-*  
dem nobis benignitatem impendas, quam *nedic.*  
superioribus seculis impendisti, ut agri no-  
stri tempestiuus imbribus irrigentur, &  
salutaribus aquis fructuosi fiant. *Omni-*



um enim effectrix voluntas & providentia est tua, unde supera & infera & terra nascentia omnia ordinem retinent suum, ut conseruationi omnium rerum inseruiant. Itaque cum omnia praestonumini tuo sint, ne nos ab tua immensa bonitate longè abesse sinas, eluceat tuus erga nos fauor, & appareat benignitas, ne illa corrumpantur & intereant, quae ordine voluntatis tuae conseruationi humanae destinata sunt. Ita clementia tua, quam nunquam ab vlllo genere amoues coram, quae manuum tuarum opus sunt.

Coronabis  
annum benignitate  
tua, & vestigia tua  
stillabunt  
pinguedinem.

Benedices coronæ anni benignitatis tuæ, & campi tui replebuntur vbertate.

**N**os quidem fatali lege, inssuque tuo laborem impendimus, aut agris colendis, aut necessario ad vitam sustentandam comparando cultu, sed nisi te donante perit labor irritus, nec quicquam nobis proderit industria no



stra, nisi accedat benignitas tua, hac enim vna rerum publicarum & priuatarum stat salus & incolumitas, quae pace & tranquillitate tuo munere stabilita, beatae sunt vrbes & Respublicae: vt vniuersum tempus aetatis, ceu florenti corona exornatum esse videatur, & quocumque se fauor extulerit tuus, vestigia tua praesentiae, abundantia omnium rerum sequatur. Quin &

Pinguescent speciosa deserti, & exultatione colles accingentur.

D. Hieron.

trans.  
Pinguescēt  
pascua de-  
serti.

Ita vt exuberantia fauoris tui, ad remotissima etiam deserta, vastasq; solitudines ac syluestria & inculta loca pertingat: quae etsi non sint vlli obnoxia cura, tamen te volente atque iubente, maximam copiam alimenti & annonae praebeant, ipsiq; colles virenti gramine exornati, hilaritatem suam, & laetitia affluentiam ostendent.

Stillabunt  
aut rora-  
būt habita-  
cula deser-  
ti.

Manēt sal-  
tū pascua.

Induti



Vestien-  
tur greges  
campi.

Iubilabūt  
atq; hym-  
nū dicent.

Induti sunt arietes ouium &  
valles abundabunt frumento  
clamabunt, etenim hymnum  
dicent.

**E**Ius in humana vita quàm necessari-  
ratio sit, omnium mentibus est im-  
pressum, posteaquam enim primorum  
rentum delicto, homo se auertit abs te  
us, magna est indigentia rerum consec-  
ta, cui benignitas opitulata est tua, ut  
nere cœlesti, bona omnia largireris, eā  
ob causam ad varios vsus vitæ, terras  
campos, gregum & armentorum multi-  
tudine, valles atque agros omni generis  
frugum & fructuum impleuisti. Hac tua  
liberalitate diuina, bonorumque conce-  
one, à primo orbis exortu in hunc diē  
tales fruuntur, & ex ipsis etiam incom-  
modis vitæ sic subleuantur & iuuantur  
ut tua cœlesti ope exultent. Itaque pro  
maiestati tuæ diuina semper gratias  
gunt, eamque laude extollunt, cuius be-  
nigritati



nignitate conseruationem & gloriam vi-  
 ta sunt consecuti. Hac gloria prouidentia  
 est tua Deus, pulcherrimo ordine & for-  
 ma ad conseruanda & tuenda omnia cō-  
 sentiens, vt summa vtilitas generi adfer-  
 retur humano, & terrenorum omnium  
 commodorum in homine dominatus esset.  
 Omnia eius bono à te ei data sunt, vt quā-  
 diu in mundo esset, appetente natura, ad  
 pastum & iucunditatem vitæ, fertilitate  
 fruereetur terrarum, ac plenum ex bonis  
 rebus perciperet fructum. Nec tamen in-  
 ijs. finita est eius scelicitas, data ei & inge-  
 nerata cognitio est tui, in qua vera beati-  
 tudinis est fructus, vt animi quorū ater-  
 naratio est, abundarent bonis cœlestibus,  
 pietate, iustitia, religione atque virtute. *Ad Ephe. i.*  
 Itaque fortunati abs te omni vbertate di-  
 uina sumus, misso in terras filio tuo IESV  
 CHRISTO, ac nos Sancto Spiritu im-  
 plente, vt mentes nostra omnium virtutū  
 prouentu fecunda fierent, eoquē sempi-  
 terno dono percepto actiones omnes vi-



te, ad diuini nominis tui laudem & cele-  
stum verteremus. Tu nos predestinatione  
tua diuina ab ipsa aternitate in electorum  
tuorum aggregauisti & cooptasti cœtuum,  
vt finito æuo mortali, in cœlum assumpti  
tua domus ac sancti templi tui abundare-  
mus bonis. Vt ergo coniungamur et con-  
sociemur tibi, omnes nostræ vires ad tuum  
gloriosum nomen prædicandum, confere-  
re sunt, vt te patrem cœlestem nostrum  
seruatorem mundi, & viuificantem om-  
nia spiritum, supplices colamus, & tantis  
adeptis bonis gratè veneremur. Hoc iusti  
homines, quos sua comitantur opera in  
terrestri Syone inchoatum, tùm plene per-  
ficient, cùm in cœlestem Hierosolymam  
Syona translati, ante tuum solium, in  
tuo conspectu hymnos in perpetua secu-  
dicent, & sempiternam gloriam tribu-  
tibi, cuius beneficio, à terra redempti,  
suis laboribus requieuerunt. Ad hanc  
reditatem & vitæ coronam, quam ego  
nibus meis votis precibusq; exposco, vt in



me voces Deus, & ad illum alleges beatorum cœtum, qui te ad omnem eternitatē adorant & coram venerantur. Sed ne mea peccata & graua delicta, & innumerabiles iniquitates vnquam abs te dirimant, tu sanctum tuum spiritum ex alto, aq̄e tuo glorioso folio demitte, qui me in hoc terrestri domicilio versantem asectetur, vt à peccati vinculis soluar, ac tuæ gratia restituar. Sentio quidem vulnera earum rerum, quæ iniquitate plena, iustitiam diuinam tuam offendunt. Sed auxilium aduersus ea tuum, propitiatione aterna tua, paratū ac donatum mihi, me excipiet & amplexabitur. Hoc fundamentum spes omnis mea & salus nitetur, quam nulla debilitabit vis, aut malorum importunitas retundet. Sed opes illæ ac vires tuæ sunt, tua de cœlo missa gratia infirmitatem sustentat meam, nihil vt eam labefactare & opprimere possit. Tibi ergo committam me totum, & ad tuam venerandam atq; adorandam maiestatem, men-



te mea & spiritu conuersus, sacrificiū laudis ac vota tibi Deo omnipotenti faciam in terris, vt post labores, & certamina exantlata vitæ, beate redemptionis tuæ beneficio, ad cœleste templum tuum sublatus, hymnum gloriæ tuæ in perpetuū dicā

*Meditationis in Psalmum  
LXIII. finis.*

ARGUMENTVM PSALMI LXXXIII.

In hac Ecclesiæ terrestri domo, inter summa vitæ mala suspiranti & anxiati menti, in Deo salus & requies est. A quorum in terris ad DEVM relata desideria sunt, ijs à morte corporis ad illam æternam sedem ac domum, in qua diuina mens inhabitat, aditus erit.

MEDITATIO IN PSALMUM LXXXIII. iuxta Hebræos Lxxxiiij.

*Magnus*